In Dei nomine. Ego Sancia uxor qui fuit de Raimundo
de Aptasona, una cum consensu et uoluntate
omnium filiorum filiarumque mearum, scilicet Raimundus
et Dominicus de Aptasona, et Petrus abbas de Tronce-
do, et Fertunio, et Beran, et Sango, et Garsia, et
Maria, et Blaschita, et Tota, simul cum istis filiis
meis, offero domino Deo et sancte Marie uirginis et
monasterio beatissimi Victoriani et domno Mar-
tino abbati, omnique conuentui monachorum presenti et fu-
turo, filium meum Garsia, ut sit frater et monachus eiusdem
monasterii. Et dono et offero eidem monasterio sancti
Victoriani simul cum omnibus filiis et filiabus meis pro filio
meo Garsia, quem ibi mitto, et pro anima mariti mei Rai-
mundo de Aptasona, et pro animabus patrum et matrum
omniumque parentum nostrorum, omnes insimul bono animo dona-
mus et concedimus totum hoc quod abemus ut abere debemus in uil-
la de Mochat, scilicet casa de Iohan de Romeral ab inte-
gro, et casa de Illos de Ysarn similiter ab integro, et casa
de Galin Sanz de Gauadella ab integro, cum totum hoc
quod possidet ut possidere debet, cum usaticis et tributis
que nobis debet facere. Et de casa de Gili de Gauadella
illum censum quod nobis debet facere sine ulla retineza.
ut domus sancti Victoriani cum his qui ibi abitant ut abi-
taturi sunt teneat atque possideat. Hec nostra dona-
tio firma quieta et secura per cuncta secula seculorum. Facta
carta in era M. CC. XXX V. Regnante rege Petro in
Aragone, in Bachinona, in Suprarbi et in Ripa-
curcia.

Ego Sancia hanc cartam quam rogaui et feci fieri laudo
et confirmo, et hoc signum + facio. Signum +
Raimundi. Signum + Dominici. Signum + Petri.
Signum + Fertunii. Signum + Beraldi. Signum +
Sancii. Signum + Garsie. Signum + Marie.
Signum + Blaschite. Signum + Tote.

Lecterius monachus rogatu predictorum uirorum hanc cartam
scripsit et hoc signum fecit.

1197 San Victorian 23

Docpart 7

22

4

Donacion de Vnas casas
y haciendas en morcat